



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica Sexagesimæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

III.

Quid sibi hoc? ultimi æquè ac primi accipiunt singulos denarios. Hæcne æqualis dispensatio? aut retributio? en! ò fili! non *quamdiu*, sed *quàm bene*, quàm fervidè & constanter serviamus Deo, interest. Consummatus in brevi potest explere tempora multa, & lucrari mercedem magnam in cœlo. Servimus: Sed quomodo?

Instructio meritoria.

Citò redimamus, quæ tam sæpè prodigimus, pretiosa tempora, intendendo fervorem, & devotionem ergà Deum. In satisfactionem negligentiarum omnium nostrarum persolvamus Litanias Majores. Qui multum orat, magna impetrat.

Dominica Sexagesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Nonne genuini Filii est, defendere Patrem? nonne & fidelis servi protegere Dominum. Ecce! instant periculosa Bacchanaliorum tempora, quibus

quibus mundus stat totus contra Dominum; ad arma igitur ò dilecte fili! ad singularia pietatis exercitia, & his studeat avertere peccata gravissima, quibus Deus Pater tam bonus, & clemens injuriosè tractatur. Cessa! peccatum fati est.

Instructio meritoria.

In hunc finem offerat *officium minus de Dulcissimo Nomine Jesu* cum trina visitatione Sanctissimi. Nolo, ut solus hîc Jesus lateat. Domine! curro, ut te stringam.

II.

Fili! ad laborandum, ad seminandum nati sumus; sed quodnam seminandi tempus nobilius tempore tribulationis? hinc S. Bernardus: *Gloriemur in tribulatione: In ea siquidem spes omnis glorie.*

Instructio meritoria.

Hâc septimanâ omnes afflictiones patienter sustineamus, Deoque offeramus, ut avertat scelera hominum molliter, & sensualiter viventium, pro quibus *Litania*

nias de omnibus Sâctis persolvamus.
Quod uni ex his minimis fecistis, mihi
fecistis.

III.

ARguitur hodie inconstantia nostra:
Nam S. Evangelium ait: *Ad tem-*
pus credunt, & in tempore tentationis
recedunt. Ah! quot merita nostrâ
pereunt infidelitate, & inconstantia! in
bono rerum successu fervemus; in ma-
lo torpemus. O fili! in Christianis non
initia attenduntur, sed finis, & perse-
verantia.

Instructio meritoria.

Qualis & piorum erit inconstantia
hoc periculoso tempore? ut in suo ser-
vemus fervore, coram SS. Venerabili
quotidiè per hanc septimanam unum
Psalmum ex pœnitentialibus offeramus
Jesu Eucharistico. Si pii recesserint,
quis honor? vel ubi Amor Dei?

Do-